

ANTONII ALOYSII KALENIĆ
Filozofski fakultet
Zadar

UDK 871.09

DE PETRONII EXPERIMENTO DESCRIPTIONIS PHAENO- MENOLOGICAE DEFATIGATI CULTUS HUMANI

oratiuncula

Exordior a Petronii carmine lyrico in sat. c. 79,8:

„qualis nox fuit illa, di deaeque,
quam mollis torus. haesimus calentes
et transfudimus hinc et hinc labellis
errantes animas. valete curae
mortales. ego sic perire coepi.“

Permagni enim nostra refert explanare, quam vim habeant enuntiata huius carminis „valete, curae mortales“ et „ego sic perire coepi“.

Vere dici potest quodvis carmen lyricum dicere tibi, quomodo unus aliquis ex hominibus rerum adficiatur universitate, et quidem ita, ut offerat tibi eodem tempore huius hominis cognitionem. Thales autem, cum ex eo percontati sunt, quid in primis arduum factu existimaret: noscere, inquit, se ipsum (Diog. Laert. I 36). quod sapientis praeceptum liquet non modo ad singulos homines pertinere, verum etiam ad singulas gentes. hac igitur de causa homines Apollinis oracula Delphis tum de sua privata sorte, tum de fortuna propriae civitatis consulebant. etenim, ut te ipsum penitus pernoscere possis, historiam quoque tui ipsius populi, id est: eius vitam ac vim et naturam propriam pernoscas necesse est.

Cultum intellego universa, quae ad humanitatem pertinent, vitae elementa certae hominum inter homines societatis, id est: summam ingenii virium et humanae scientiae et humani effectus. qui cultus a singulis hominibus idemque a societate procreatur vel potius, ut translatis verbis utar, construitur atque aedificatur, nec non ambo hi - hominem et societatem dico - quasi baiuli necessariae eius condiciones sunt. cultus humanus naturam superat et, licet re vera contra naturam fiat, tamen est naturae perfectissimus surculus. historia autem cuiuslibet populi est simul historia eius cultus atque humanitatis.

Quorsum haec disputo? nam Eumolpus, postquam de Crotona urbe heredipetis apta certior factus est, fallacia cum comitibus excogitata, qua captatores excitarentur ad largiendum, Encolpio et Gitoni explicare conatus est, quem ad modum historia poetis tractanda esset:

„non enim res gestae versibus comprehendendae sunt, quod longe melius historici faciunt, sed per ambages deorumque ministeria et fabulosum sententiarum torrentem¹ praecipitandus est liber spiritus, ut potius furentis animi vaticinatio adpareat quam religiosae orationis sub testibus fides“ (c. 118,6). carmen epicum de bello civili, quod posthac poeta noster recitavit, 295 hexametros comprehendit. quo in carmine verae expositioni rerum gestarum, ubi servata est *religiosae orationis sub testibus fides*, solis duabus in scaenis datus est locus, altera, quae Caesarem Alpes transeuntem (v. 141-208), - Alpium transitus functus est vice Rubiconis traiectus ideo, quod Rubico, ut parvulus fluvius, magnitudini eventus convenienter animos audientium commovere non potuit, - altera, quae terrorem velut lymphaticum, qui exinde Romae ortus est, fugamque administrationis rei publicae (v. 209-244) descripsit. in ceteris autem versibus duas carminis partes comprehendentibus *praecipitatus est liber spiritus per ambages deorumque ministeria et fabulosum sententiarum torrentem, ut potius furentis animi vaticinatio adpareret*. res, quae antehac gestae sunt, atque omnia, quae post futura erant, a poeta tantum modo obiter significata sunt nullo certo ordine servato.

Hoc igitur in carmine Pluto Fortunam talibus verbis lacessit (v. 79-85):

„rerum humanarum divinarumque potestas,
 Fors cui nulla placet nimium secunda potestas.
 quae nova semper amas et mox possessa relinquis,
 ecquid Romano sentis te pondere victam,
 nec posse ulterius perituram extollere molem?
 ipsa suas vires odit Romana iuventus
 et, quas struxit opes, male sustinet.“

Ergo res publica Romana moles peritura esse dicitur. quae vim vigoremque perdens fit similis Trimalchionis Sibyllae, quam iam dudum vitae taedet (c. 48,8): Trimalchio enim ostendens sese litteris eruditum esse narrabat se ipsum Sibyllam oculis suis vidisse in ampulla pendere et, cum ei pueri dicerent: Σίβυλλα, τί θέλεις; respondisse illam: ἀποθανεῖν θέλω. incertam autem hominum conditionem miseratus Encolpius: si bene, inquit, calculus ponas, ubique naufragium est (c. 115,16). structura cultus atque humanitatis eadem est ac structura vitae unius alicuius hominis, quae quidem continetur vi vitali, lassitudine, morte.

Quae elementa cultus atque humanitatis Romanae evanescebant?

„pellitur a populo victus Cato; tristior ille est,
 qui vicit, fascesque pudet rapuisse Catoni.“

¹ torrentem *Barthius*: tormentum *codices*: fragosum sententiarum torrentem *Fraenkel ex collatione Verg. Aen. VII 566 sq.*

[namque hoc dedecoris populo morumque ruina]²
non homo pulsus erat, sed in uno victa potestas
Romanumque decus“ (v. 45–49).

Cato vere Romanus fuisse dicitur. quibus in rebus nihil omnino interest, utrum ille priscus, Censorium dico, an Uticensis nominatus sit, quando quidem Catonianum nomen iam pridem cognominatum verbum Romanae virtutis exstitisse non ignoramus. proposita autem vitae, quae civis vere Romanus ante omnia adsequi studeret, - etenim semper cuilibet homini praesto esse debet propositum quoddam vitae principale, quod omnibus ceteris agendi propositis anteponatur, - liberos et patriam fuisse inter omnes constat. at nunc testis es imminutionis numeri ingenuorum (Quiritium) vitandi partus causa: „in hac urbe /sc. Crotone/ nemo liberos tollit, quia quisquis suos heredes habet, non ad cenas, non ad spectacula admittitur, sed omnibus prohibetur commodis, inter ignominiosos latitat“ (c. 116,7). cf. etiam Tac. ann. XIII 26,1-3: „per idem tempus actum in senatu de fraudibus libertorum, efflagitatumque, ut adversus male meritos revocandae libertatis ius patronis daretur, nec deerant, qui censerent, sed consules incipere non ausi ignaro principe/ sc. Nerone/ perscribere tamen ei consensum senatus... .. 27 disserebatur contra: paucorum culpam ipsis exitiosam esse debere, nihil universorum iuri derogandum, quippe late fustum id corpus /sc. libertorum ordinem/, hinc plerumque tribus, decurias, ministeria magistratibus et sacerdotibus, cohortes etiam in urbe conscriptas, et plurimis equitum plerisque senatoribus non aliunde originem trahi: si separarentur libertini, manifestam fore penuriam ingenuorum³. non frustra maiores, cum dignitatem ordinum dividerent, libertatem in communi posuisse, quin et manu mittendi duas species institutas, ut relinqueretur penitentiae aut novo beneficio locus; quos vindicta patronus non liberaverit, velut vinculo servitutis attineri; dispiceret quisque merita, tardeque concederet, quod datum non adimeretur. haec sententia valuit, scripsitque Caesar senatui, privatim expenderent causam libertorum, quotiens a patronis arguerentur: in commune nihil derogarent.“

Huc accedebant magis magisque praevalentes barbari mores itusque orientales:

„Persarum ritu male pubescentibus annis
surripuere viros exsectaque viscera ferro
in venerem fregere, atque ut fuga nobilis aevi
circumscripserat mora properantes differat annos,
quaerit se natura nec invenit. omnibus ergo
scorta placent fractique enervi corpore gressus
et laxi crines et tot nova nomina vestis,
quaeque virum quaerunt (v. 20-27).

² delevit Broukhusius

³ ad quam nostra magni retulit orationis particulam, eam litteris quas vocant inclinatis exscripsi.

Cf. etiam locum, ubi Eumolpus Troiae halosin in tabula pictam senariis Graecanicis explanat, et quidem c. 89 v. 52.53:

„sic profanatis sacris
peritura Troia perdidit primum deos.“

Eodem accedebat feneratio, - malum, quod tota civitate ingravescerebat quoque omnes ordines obruebantur:

„praeterea gemino deprensam gurgite plebem
fenoris inluyies ususque exederat aeris.
nulla est certa domus, nullum sine pignore corpus,
sed veluti tabes tacitis concepta medullis
intra membra furens curis latrantibus errat“ (v. 51-55).

Eodem accedebant ordinum condicionumque quasi vincula atque iam obsoleta obtemperatio:⁷

„nec minor in campo furor est, emtique Quirites
ad praedam strepitumque lucri suffragia vertunt.
venalis populus, venalis curia patrum,
est favor in pretio“ (v. 39-42).

Cf. etiam infra, ubi C. Iulius Caesar habet orationem ad milites suos, v. 165.166:

„mercedibus emptae
ac viles operae, quorum est mea Roma noverca.“

Tum etiam cf. supra, ubi Agamemnon rhetor Encolpio declamationum ineptias reprehendente culpam in parentes discipulorum transfert, c. 3,2-4,1: „nil mirum <si>⁴ in his exercitationibus doctores peccant, qui necesse habent cum insanientibus furere. nam nisi dixerint, quae adulescentuli probent, ut ait Cicero⁵, 'soli in scholis relinquuntur; sicut ficti adulatores, cum cenas divitum captant, nihil prius meditantur, quam id, quod putant gratissimum auditoribus fore, - nec enim aliter impetrabunt, quod petunt, nisi quasdam insidias auribus fecerint, - sic eloquentiae magister, nisi tamquam piscator eam imposuerit hamis escam, quam scierit adpetituros esse pisciculos, sine spe praedae moratur in scopulo. quid ergo est? parentes obiurgatione digni sunt, qui nolunt liberos suos severa lege proficere.“

Eodem accedebat extenuatio pretii monetae importatione mercium etiam atque etiam crescente, exportatione e contrario deminuta, quam pretii monetae extenuationem interitus videlicet urbanae mercaturae subsequabatur:

„ecce Afris eruta terris
citrea mensa greges servorum ostrumque renidens
ponitur ac maculis imitatur vilis aurum,
quae sensum trahat. hoc sterile ac male nobile lignum
turba sepulta mero circum venit, omniaque orbis
praemia conreptis miles vagus esurit armis
ingeniosa gula est. Siculo scarus aequore mersus
ad mensam vivus perducitur, atque Lucrinis

⁴ nil mirum si: *Leo: nimirum codices*

⁵ Cicero *pro Caelio* 41

eruta litoribus vendunt conchyliā cenas,
 ut renovent per damna famem. iam Phasidos unda
 orbata est avibus, mutoque in litore tantum
 solae desertis adspirant frondibus aerae“ (v. 27-38).

Tum etiam cf. v. 14-18:

„quaeritur in silvis auro fera, et ultimus Hammon
 Afrorum excutitur, ne desit belua dente
 ad mortes pretiosa; fames premit advena classes,
 tigris et aurata gradiens vectatur in aula,
 ut bibat humanum populo plaudente cruorem.“

Huc accedebant multa quoque alia. verum, ut brevi praecidam: res publica Romana non perit a gladio externarum gentium, sed eius exitium causis in inexplicabilem glomum implicatis ex intestina ortum est dissolutione.

Quid ergo est? instrumentis profecto ad scientiae rationem admodum res gestas exquisite enarrari posse externasque harum rerum condiciones melius historiographos describere quam poetas Petronius non infitias iebat. atqui scriptoris nostri plurimum interfuit explicatum iri illud rerum gestarum intrinsecum ac veluti irrationale momentum, quod, quamvis in ipsa earum natura positum esset, ne ex exquisitissime quidem descriptis externis rerum condicionibus adpareret, - quod non esset plane res simpliciter neque nota rei quaedam simpliciter, sed longe alia ratione tamquam peculiari quodam animi habitu homines et res circumvolante in implicatis patefieret viribus huius vel illius habitudinis elementorum cultus humani, et quidem in casibus saepe inter se mango opere diversis.

Itaque, quamquam ex praeceptis doctrinae nescio quem casum accuratissime describere potes, nullo pacto fieri potest, ut isdem instrumentis describas vim et naturam causarum primum adscensus, deinde aetatis florentis, tum defatigationis, denique ac postremo solutionis et interitus nescio cuius cultus atque humanitatis. quibus rebus ita se habentibus quam ob causam elementa non nulla cultus humani, - licet etiam porro cum facultas, tum copia adhibendi atque usurpandi haec elementa locum habeat, - de improvviso debilitari et perire atque ad nihilum venire incipiant, haec quaestio scientiam et doctrinam fugit vel dicam scientiae et doctrinae ἐπέκειναι instituitur. quare Petronius phaenomenologica ratione describendi, - quae constabat hac ex parte e reiectione illorum, quae non in ipsa rei natura posita essent, illinc ex adstrictione ad puras essentias, id est: ad notas praecipuas rerum obiectarum, - conatus est pervenire usque ad irrationalem illam condicionem causae dissolutionis elementorum cultus ea mente, ut causas languoris cultus atque humanitatis Romane illius temporis perspicue explicare posset. nam notae praecipuae phenomenorum sunt species, quae vim et significationem humani esse in rerum universitate patefaciunt.

Carmen Petronii epicum de bello civili (c. 119-124,1) depingens eversionem aedificii, quod tot saeculis aedificabant ingenium Grae-

cum et prudentia civilis Romana virtusque politica, rebus obiectis, ad ipsas phaenomenorum substantias adstrictis erat experimentum, quod phaenomenologicum in modum causas defatigati cultus humani describebat. poeta praecipitabatur eo consilio per ambages deorumque ministeria, ut veritatem cultus atque humanitatis Romanae, quae oculis scriptoris rerum gestarum (Lucani) cerni non potuisset, in lucem proferret.

Illuc, unde abii, redeo:

„qualis nox fuit illa, di deaeque,
quam mollis torus. haesimus calentes
et transfudimus hinc et hinc labellis
errantes animas. valete, curae
mortales. ego sic perire coepi“ (c. 79,8).

quibus in hendecasyllabis ex exemplari unius hominis sumpta sunt atque in breve coacta praecipua elementa cultus humani eiusque defatigationis. nam hoc carmen locum dat phaenomenologicum in modum restrictis *principio et fini* in enuntiato „perire coepi“, *vitae simulque discessui e vitae industria* in enuntiato „valete, curae mortales“, - nam *curae*, quia per ipsam naturam suam *in posterum prospiciunt*, sunt *fundamentum industriae et creationis* cum cuiusvis hominis, tum eodem modo universi nescio cuius cultus atque humanitatis, - item locum dat *sollicitudini et perturbationi animi* in illo „transfudimus hinc et hinc labellis errantes animas“, *languori et satietati vitae* in illis „nox“ et „mollis torus“; qui torus adplicatus est ad *delicias somni*, proximi cognati sororis suae - *mortis*: „valete, curae mortales. ego sic perire coepi.“

Quo tandem modo cultus humanus perit? fit aetas universae rerum perturbationis. perturbationem rerum maxime variae defatigationis notae consequuntur. exinde pace in interregno conciliata cultus ad ultimum interit. etenim pacem Romanam iusto iure dicitur fuisse pacem sepulcri.

Scripti Iaderae mense Septembri anni 1989.

SAŽETAK

Antun Slavko Kalenić: PETRONIJEV POKUS FENOMENOLOŠKOG OPISA KULTURNOG ZAMORA

Petronije ne poriče da se povijest može precizno izložiti na temelju znanstvenome-todičkih sredstava i da izvanjske njezine uvjete povjesnici bolje opisuju nego pjesnici. Bilo mu je međutim stalo do odgovora na pitanje: kako izložiti onu nutarnju i na neki način iracionalnu bit povijesnih zbivanja, koja se, unatoč tomu što je u njima čvrsto ukorijenjena, ne pokazuje ni iz najegzaktinije opisanih vanjskih uvjeta tih zbivanja, - koja nije ni stvar ni oznaka stvari naprosto, nego se kao neka posebna atmosfera koja lebdi među ljudima i stvarima otkriva u isprepletenim djelovanjima ovoga ili onoga stanja elemenata ljudske kulture? Pisac obrazlaže zašto misli da je u Petronijevu Satirikonu - i napose i njegovu epu o građanskom ratu - po srijedi pokus fenomenološkog opisivanja Rimskoga kulturnog zamora.